



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

96. Wigbertvs dubius subinde an aliquid comederit, vel non comederit:
subinde an comederit ante vel post medium noctis potest in vtroque dubio
celebrare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

lem minimè dedit Wendelinus; hocipso quod nihil prorsus de morte alteri inferenda in mentem occurrerit, ut ipse sanctè affirmat: nec talis actio per se illicita & mortis causatiua sit.

XCVI. Wigbertus presbyter frequenter heret, num ieiunus sit ad celebrandum propterea, quod noctu plerumque, antequam in cubitum, aliquid saccari sumere, vel ori paulatim liquandū imponere soleat; & quidem subinde dubitat, an aliquid comederit, vel non comederit: subinde an comederit ante vel post medium noctis. *Quæritur. Vtrum stante hoc dubio celebrare possit?*

Videtur non posse: Ita Sanchez de Matr. l. 2. D. 4. n. 4. Facundez de præcepto 3. Eccles. l. 3. c. 5. n. 18. Palao Tom. 1. Tr. 1. D. 3. pun. 8. n. 9. & 10. Vbi plures refert, cui accedit Card. Lug. D. 15. de Euch. n. 42. saltem quoad dubium de tempore comestionis, non verò de ipsa comestione. Mouentur. Tum quia possessio est pro præcepto: nulla verò pro celebraturo. Tum quia vnusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ, aliàs succumbet *L. ei qui dicit. ff. de probat.* At fundamentum exigentis celebrationem est ieiunium. Ergo, dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit celebrationem. Tum quia sic etiam dubius de peccato mortali posset communicare, non præmissâ confessione, quod est contra communem,

Resp.

Resp. Wigbertum celebrare in utroque dubio posse. Ita Layman, L. 1. *Theolog. Moral. Tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* Ioan. Sancius in *Selectis D. 42. n. 1. & 9.* Bardi de *Conscientia Discept. 6. c. 11. part. 3. §. 2.* Dicastillo Tom. 1. de *Sacr. Tr. 4. à n. 284.* Dian. P. 3. Tr. 4. Res. 29. & P. 10. Tr. Res. 54. plures referens. Ratio fundamentalis est, quia in presenti casu ex parte celebraturi supponitur ius multò antè acquisitum celebrandi singulis diebus, quibus nō est impedimētū; quod ius hodie possidetur pro omnibus sequentibus diebus, duratque totā vitā. Hoc igitur iure possessio ut Wigbertus non possit uti, superueniat necesse est aliquod impedimentum certum, cūm dubium nequaquam sufficiat. Atqui in nostro casu siue sit dubium de comestione, siue de hora comestionis, est impedimentum dubium: possessio verò iuris ad celebrandū præsupponitur certa. Ergo nō potest illi obstare impedimentum illud dubium. Confirmabitur hæc responsio ex solutione argumentorum in contrarium. Itaque

Ad 1. In contrarium negamus, nullam esse possessionem ex parte celebraturi antecedentem; quippe antecedit possessio libertatis propriæ, quam Wigbertus habet, antequam eum apprehendat, & obstringat præceptum; nam istud præceptum (loquendo de actuali obligatione) non prius obligat, quàm moraliter adsint omnia requisita, adeoque in proposito

R 1 2

come

comestio. Quare si quis existimet, aut saltem putet, se non comedisse, libertatem habet ex eo capite celebrandi, & non obligatur præcepto abstinendi. Ergo si deinde superveniat dubiū, iam istud reperit præviā libertatis possessionem ante præcepti obligationem, ut bene Dicastillo *n. 306. Ad 2.* Distinguiamus Maiorem; si probatio est de qualitate positiva, concedimus; si de negativa, nempe quod nō adsit impedimentum, negamus; talis enim venit solūm paratus ad sui defensionem, ita ut nemo tale in ipso impedimentum probare queat, tunc enim immeritō arcebitur ab executione sui iuris & potestatis. Adhæc esto totus discursus. Dicimus sufficere probationem negativam, scilicet post diligentem inquisitionem & examen non constare, nec probabiliter quidem de comestione, sed manere rem intra terminos puri dubij, ut Wigbertus tunc pro ieiuno gerere se possit. *Ad 3.* Negamus sequel. cū ex recepta consuetudine & communi sensu DD. peccata mortalia dubia teneamur sic sub dubio cōfiteri; quia vel Christus sic præcepit, sicut potuit præcepisse; vel Ecclesia sive lege sive consuetudine ita statuit, ut videre est apud AA. passim. Quid autem nos de hoc sentiamus, diximus Cent. I. cas. 38.

XCVII. *Wilibaldus Episcopus Eistadianus enuntiari curat in ciuitate Ingolstadiensi, collaturum se Sacramentū Confirmationis post octiduum*
in